

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Sollicitudo siue occupatio a
cum fonte primo

Amant peruersi homines pro huius mundi gloria eciam tribulationes cunctisque pro ea sudoribus libenter seruiunt, et grauium laborum iugo deuotissime colla submitunt. Quod bene sub Ephraim specie Osee prophetante describitur qui ait: Ephraim uitula docta diligere trituram.

Vitula enim triture laboribus assueta, relaxata plerumque ad eundem laboris usum eciam non compulsa reuertitur. Ita prauorum mens huius mundi seruitio dedita, et rerum temporalium fatigationibus assueta, eciam si sibi libere uacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat.

Gregorius libro XV. moralium.

Amant enim peruersi homines pro huius mundi gloria etiam tribulationes cunctisque pro ea sudoribus libenter seruiunt, et grauium laborum iugo deuotissime colla submitunt. Quod bene sub Ephraim specie Osee prophetante describitur, qui ait: *Ephraim uitula docta diligere trituram* (Os. 10:11).

Vitula enim triturae laboribus assueta, relaxata plerumque ad eundem laboris usum etiam non compulsa reuertitur. Ita prauorum mens huius mundi seruitiis dedita et rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi sibi libere uacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat, et usum miserae conuersationis trituram laboris quaerit, ut a iugo mundanae seruitutis cessare non libeat, etiam si liceat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 20, 15 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.1031, ll.47-59).